



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 2. Quomodo hic reliquenda, quæ hic nominantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

tibus saluari posse, sed ideo inquit hoc dictum est, quia futurum erat, ut audito Evangelio diuites vendito patrimonio erogatoque pauperibus dominum sequerentur, & intrarent in regnum celorum, atque ita heret quod difficile videtur, non ut manentes in diuitiis suis, præcepta Apostoli custodiendo, id est, non superbo sapendo, neque sperando in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, benefaciendo, facile tribuendo & communicando indigentibus, verâ apprehendant vitam, sed etiam ista præcepta Apostolica venditis omnibus suis rebus implerent. Hæc si dicunt scio quippe eos illa dicere, non attendunt primitus, quemadmodum Dominus contra eorum dogma suam gratiam prædicauerit. Non enim ait. Quod hominibus impossibile videtur, facile est hominibus si voluerint: sed, quod hominibus inquit impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista recte fiunt, non fieri hominis potentia, sed Dei gratia. Hæc ergo attendant illi, & si reprehendant eos qui gloriantur in diuitiis suis, caueant ipsi in sua virtute confidere, simul enim utrique reprehenduntur in Psalmo. Qui confidunt in virtute sua, & qui in abundantia diuitiarum suarum gloriantur. Audiant itaque diuites. Quod hominibus impossibile est, Deo facile est, & siue manentes in diuitiis suis, siue illis venditis & per indigentias pauperum distributis, intrent in regnum celorum, gratia Dei tribuant, non propriis viribus bonum suum. Quod enim hominibus impossibile est, non hominibus, sed Deo facile est. Audiant hoc & isti, & si iam omnia sua venderunt, & pauperibus tribuerunt, vel adhuc agunt & disponunt, & hoc modo præparant intrare in regnum celorum, non hoc tribuant virtuti suæ, sed eidem gratiæ diuinæ. Quod enim hominibus impossibile est, non ipsis, quia & ipsi homines sunt, sed Deo facile est. Et l. 2. quæst. Euang. q. 47. Quid est quod ait: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei. Diuitem hic appellat cupidum rerum temporalium & de talibus superbiens.

VERSUS 27.

Tunc respondens Petrus, dixit ei: ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

QUESTIO I.

Quomodo Apostoli reliquerunt omnia?

§. 1. Admirandi particula Petrus videtur; Nam admirabile est diuitias non amare, non tenere, illi vero sponte deseruerunt. Quædam exemplaria habent: *ipse dixit, ecce Domine*. Petrum dubitasse nonnulli volunt, quod pauca reliquissent, vel quod amicis, vel parentibus non pauperibus reliquissent. Confidenter tamen loquitur & amicis, non exprobrat Christo officia. Quamuis enim pauca erant, videmus tamen pauperes & quietos à suis rebus haud difficulter auelli. Euthymius, Caicatan. Iansen. putant Apostolos res relictas pauperibus non dedisse. Verum cum reliquerint, credibile est non abieccisse, sed pauperibus vel notis vel ignotis dedisse, neque enim ignorabant legem dilectionis nec dubitabant: Nam magno affectu parua reliquerunt, qui omnem spem regnorum abiecerunt.

§. 2. D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 4. ad 3. Non

modo reliquisse omnia, sed voto etiam paupertatis se omnibus abdicasse, id ex Augustin. lib. 17. de ciuitate Dei, cap. 4. habuit, qui hoc votum potentissimos, hoc est, Apostolos ait vouisse. Abdicatio vero ista ad perfectionem via erat, & visitata in posteris, quia potentissimorum valuit exemplum. Vouisse auctor est Hieronymus ad Heliodorum Epist. 1. cap. 6. Sed forsitan dicturus es: Quid ergo quicumque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ ceteris: Dominum ausculta dicentem: si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me. Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cum derelicta militaria, te castrasti propter regna celorum: quid aliud quam perfectam secutus es vitam? Perfectus autem Christi seruus, nihil præter Christum habet: aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, & si perfectus non est, cum se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deum mentitus est.

Insigne exemplum S. Antonii, de quo narrat S. Athanasius in vita ipsius. Post mortem autem parentum annorum circiter decem & octo sen viginti cum sorore admodum parua derelictus, & domus & sororis honestam curam gerebat. Necdum vero sex fluxerant menses, quibus ad ecclesiam (ut solebat) accitens, recordabatur quomodo & Apostoli omnibus speciebus secuti fuissent Saluatorem, & multi ut legunt in actis Apostolorum facultatibus suis venditis precia ad pedes eorum detulissent egentibus patientes, quæ autem aut quanta spes eiusdem reposita esset in cæcis. Talia secum voluens intrauit ecclesiam, & accidit, ut tunc legeretur Evangelium in quo Dominus dicit ad diuitem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua quæcumque habes & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo. Quo audito quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se dominicum traxit imperium: statimque regressus possessiones quas habebat vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ vberes & valde opimæ, quas vicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi aut sorori molestia gigneretur. Cætera vero quæ in mobilibus possidebat vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo precio indigentibus dedit, paucis tamen ob sororem reueruatis, quæ & sexu & ætate videbatur infirmior.

Vide & Victorem Antiochenum, in cap. 10. Marci. Damascenum in historia Barlaam de Iosaphat, cap. 15.

QUESTIO II.

Quomodo hic relinquenda, quæ hic nominantur?

§. 1. D. Vobis modis deferri illa possunt. Primus est omnibus communis, & lege diuina præceptus, Ne quispiam patrem aut matrem aut alia Deo postponat, potiusque rerum omnium faciat iacturam, quam earum causa creatorem offendant. Alter est & legitimo, & licito omnium earum solatio se propter Christum abdicent, atque ut vno verbo dicam, imitentur Apostolos, qui ipsa omnia deseruerunt.

§. 2. De posteriore rerum abdicatione sermonem esse contextus satis ostendit. Etenim Christus non condit rerum deferendarum præceptum, sed consilium dat, & præmium proponit. Quamuis in posteriore etiam præceptum prioris includatur. Qui enim ut Deo seruiat omnia deseruit, ille certe omnibus Deum anteponebat, nec amore creaturæ creatorem offendit.

§. 3. Re-

§. 3. Relinquantur autem omnia consilio, & libertate voluntatis, non iussu Dominico. Iulianus olim Christianis præceptum esse per iritionem & avaritiam causabatur, ut nihil possiderent, ut facilius res eorum fiscus inuaderet. Nazianzen. orat. 1. in Iulian. Pelagianorum aliquos eodem modo sensisse, auctor est Augustin. Epist. 82.

Consilium datur ut omnia deserantur. Lutherus lib. de votis monasticis, vendere omnia, & dare pauperibus esse præceptum, non consilium. Eadem docet Philipp. in apolog. confessionis & locis communibus, non esse consilia. Quod si præceptum est, cur non obediunt, si nec consilium est, frustra proponitur, quod nec imperatur, nec suadetur. Chrysostom. Homil. 15. Si vis perfectus esse consulendo, & admonendo dicit, non est autem idem consulere & legem ponere. Voluisse enim in arbitrio audientium has res sitas esse.

VERSUS 28.

Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

QUESTIO I.

Quæ merces est relinquentibus omnia?

§. 1. **D**uplicem illam Christus pollicetur. Aliam in vita æterna, aliam in hac vita, quasi præmiam & aram futuræ gloriæ: Ut enim flos fructum antecedit ita quædam imitatio gloriæ æternæ est in bonis temporalibus, si illa nobis ad diuinæ benignitatis magnitudinem intelligendam sint adiumenta, & ad desiderium gloriæ incitamentum.

§. 2. Apostolis promittit iudicandi honorem in regeneratione *παλιγγενεσις*, hoc est, in resurrectione, nam regenerationem vocat, illam corporis mortalis in gloriam & immortalem vitam à Deo faciendam mutationem. Syrus habet *בְּעֶלְבָּיָא* in seculo nouo. Non probo eorum sententiam qui cum præcedentibus iungunt, quasi dicat Apostolos in regeneratione, hoc est, Evangelii prædicatione Christum secutos. Nostram sententiam habet Augustin. lib. 20. ciuit. cap. 5. Quod Christus ait, in regeneratione, procul dubio mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi. Sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Multa prætereo quæ de ultimo iudicio, ita dici videntur. Ut diligenter considerata reperiantur ambigua, vel magis ad aliud pertinentia, siue scilicet ad eum Saluatoris aduentum, quo per totum hoc tempus in Ecclesia sua venit, hoc est, in membris suis, particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus est eius, siue ad excidium terrena Hierusalem: quia & de illa cum loquitur, plerumque sic loquitur tanquam de fine seculi, atque de illo die iudicii nouissimo & magno loquatur, ita ut

dignosci non possit omnino, nisi ea quæ apud Iesum, Mattheum, Marcum & Lucam, de hac re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur. Et lib. 3. contra duas Epist. Pelag. c. 3.

§. 3. Iudicabunt non modo iudicio comparationis, virtute sua aliorum vitia daminando: sed iustes tantummodo futuri sunt. Hoc enim omnium sanctis commune est; Eorum enim integritas & penitentia condemnat impios & contumaces, & Christi iustitiam testabuntur. Sed singulari modo tanquam assessores & sententiæ Domini approbatores primarii, sententiam enim & illi pronuntiabunt.

§. 4. *Thronos Apostolorum* Chrysostom. appellat, secundarium honorem illis collatum, solum enim Christum iudicem scilicet existimat, idemque sententiam Theophylactus, & Euthymius. Nam Paulus Roman. stabimus, inquit, ante tribunal Christi, sed hoc alii interpretantur, ut stare sit apparere, hebreo enim more loquitur.

§. 5. Porro iudicabunt non sola tribus Israel, sed vniuersum orbem, qui hic per Israel significatur. Quemadmodum regnabit Christus in domo Israel, hoc est, ex eius genere & in eius posteris, sed tamen & totum mundo. Hæc iustitiam omnibus qui omnia reliquerint cuique pro gradu suæ perfectionis erit communis: Alterum præmium est huius vitæ, nempe centuplum. Quidam quia pro carnalibus spiritu accipiet, at Marc. 10. 30. Centies nunc in tempore hoc, domos & fratres, & sorores, & matres & filios & agros cum persecutionibus. Non quod eadem, aut generis eiusdem, sed quæ illis præstant, imprimis Christum, qui hæc omnia est, & omnium perfectionum charitates vnus implet, aliam deinde societatem fidelium: & multa quæ omnia illa superant. Ipsos Apostolos videamus, quantæ auctoritatis fuere, quas diuitias ad pedes suos positas diuiserunt, quot millia discipulorum habuerunt, ex quibus plus solatij quam ex parentibus, vel filiis, Syrus habet *בְּמֵאָה* in centum, vnum autem accipiet. Hoc est vnum autem in centum. Ne tamen sibi regnum hic mundum imaginentur & donatiua addit: cum perfectionibus non defore inter illa solatia aduersitates. Quamuis autem tribulationes adfuerint multæ, in hac tamen vita meliora amissis redduntur, conscientie tranquillitas, læticia spiritalis, omnium sanctorum charitas & auxilia societas sanctorum quæ efficiunt, ut etiam in hac vita beatores censeantur. Nam reuera sunt nihil habentes & omnia possidentes.

§. 6. Quærent tamen quomodo uxorem deferant, nisi tantum eo modo, ut propter uxorem non offendant Deum. Cum enim duo sunt vna caro, cum sit vinculum indissolubile, re ipsa relinqui non potest, praesertim cum in ea deferenda non simplex sit peccata, iniustitiæ & impietatis crimen, atque insuper pudicitia uxoris in periculum conijciatur.

Respondeo. In uxore deferenda iustitiam & equitatem obseruari oportere, ut non deferatur nisi merito & maturo consensu, quemadmodum multos Episcopos, virosque sanctos fecisse videmus.